

Cuevas, Mariano , O. Cist.

**Oratio de studiis humanitatis habita ad Academiam
Salmanticensem XV Kalendas novembris anni
MDCCCXXVII / a P.M.F. Mariano Cuevas
Cisterciensis Ordinis.**

Salmanticae : Apud Joann. Vallegera, Typ. Univers.,
[1827].

Vol. encuadernado con 9 obras

Signatura: FEV-AV-M-01388 (01)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente



Ex libris
Jesús Rodríguez Salmonés



5069

FEV-AV-M-01388

CB: 6000000131708 (1)

CB: 6000000131784 (9)

12

100000 de libras
frangibles

168

12

12

Universidad de Salamanca
Inaugurales

Universidad de Salamanca

en los años establecidos - anno -

el año - 1863 -

En la

en el año 1863

1863 - 1863

Universidad de Salamanca
Museo Arqueológico

ORATIO
ADIE ROMANITATIS

Inaugurales
antiguas y modernas
pronunciadas
en las aperturas de estudio y de la
Universidad de Salamanca,
con noticias estadísticas acerca de su
estado, adquisiciones y
adelantos
en estos últimos años.

Salamanca, Typ. Universitatis
1827 - 1863.

de lo que se paga
en la medida de empleo
que se establece
el de precios de cambio que
se establece en el
de los precios de cambio que
se establece en el

2381 - 1381

ORATIO

DE STUDIIS HUMANITATIS

HABITA

AD

ACADEMIAM SALMANTICENSEM

XV. KALENDAS NOVEMERIS ANNI MDCCXCVII.

A

P. M. F. MARIANO CUEVAS,
CISTERCIENSIS ORDINIS, DOCTORE THEOLOGO,
ET SACRAE, ATQUE FORENSIS ELOQUENTIAE
ACADEMIAE MODERATORE,

ingenio pro Salmanticae: verò intēmis-
Apud Joann. Vallegera, Typ. Univers.

ORATIO

DE STUDIIS HUMANITATIS

HISTORIA

*Haec studia adolescentiam alunt,
senectutem oblectant, secundas res ornant,
adversis perfugium, ac solatum
praebent, delectant domi, non impe-
diunt foris, pernoctant nobiscum, pe-
regrinantur, rusticantur.*

Cic. pro Archia Poeta.

ADSPERGAM MORTALIA MEA

ET SACRA VITA TUA TERRIBILIA

CRISTIENSIIS ORDINIS DOCTORIS THEOLOGICI

ET SACRA VITA TUA TERRIBILIA

ADSPERGAM MORTALIA MEA

SPLENDIDISSIMA

ET SACRA VITA TUA TERRIBILIA

+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+0+

inter ea discere posse cum ceteris hominibus.

Litterarii otii, Doctores amplissimi,

quo his quatuor mensibus ex veteri

consuetudine, legisque praescripto usi-

sumus, finem hodiernus dies nobis at-

tulit; idemque antiquas exercitationes

nostras, et studia, pristinumque instau-

rat morem vivendi.

Hunc ego diem non tam exspecta-

tum à vobis, quam vehementius ex-

optatum fuisse arbitror: optime enim

nostis, quantum studiorum assiduitas

ingenio prosit, quantum verò intermis-

sio noceat; quantumque illa proficere

*

ac progredi quotidie sentiamus, et quantum ista non gradu, sed praecipi-
ti cursu retro ferri, et in pejus ruere
animadvertisamus.

Non equidem à natura ita compa-
rati sumus, ornatissimi Auditores, ut
cadem celeritate discamus, qua obli-
viamur; sed ut quotidiana docemur ex-
perientia, qui multis vigiliis, multisque
sudoribus aliquam sibi laudem in quo-
libet studiorum genere comparant; si
vel tantulum de solita contentione re-
mittant, pessum it quod partum fuerat;
et ut nobilis Poeta loquitur: *Longi pe-
rit labor irritus anni.*

Neque in hoc litterarum stadio sub-
sistere saltem nobis licet, quod ut in

malis, tolerabilius foret; nam si quam temporis partem languori, ac desidiae damus, non id modo perdimus, quod interea discere possémus; sed etiam bona magnaque pars eorum quae memoriae jam mandata erant, penitus evanescit.

Ergo ut de egregio traditur artifice, numquam solitum praetermittere ullum diem quin lineam duceret; ut optimus Oratoriae Magister Quintilianus aliquid quotidie dicere, et quidem audientibus doctis eloquentiae studiosis praecipiebat: sic veteres illi quos admiramur, et suscipimus sapientiae proceres; sic praecipua quae fuerunt, ac nunc sunt Academiae nostrae lumina; nec quadri-

mestre hoc, nec ullum vitae suae tempus inutile esse patiuntur; sed cum studiis commutantes studia, dum à gravi, et severa lectione animum jam defesum avocant, vel Heliconios colles, et avia Pieridum loca peragrant, atque Poeticorum lusuum amoenitate recreantur, vel ad Oratores se conferunt, et ex illis omnia non tantum pascendis, verum etiam saginandis animis apta de-
promunt; aut in veterem se conficiunt Historiam, memoriamque omnem superioris aevi mente, et cogitatione perlustrant.

Qui praeclarissimus mos adeo probandus, omniumque imitatione dignus mihi videtur; ut hac una de causa ad

Poeticem hodie, ad Historiam, atque
 Eloquentiam quae principem inter hu-
 manitatis studia obtinent locum, per-
 petuam orationem convertere decreve-
 rim; non eo certe animo ut vobis, sa-
 pientissimi Doctores, vel monita de his
 rebus praebere instituam: id enim si
 faeere vellem, Sophista illo, qui fortis-
 simo Carthaginiensium Hannibali, post-
 quam tot annos de imperio cum Popu-
 lo Romano omnium gentium victore
 certaverat, praeepta de re militari tra-
 dere non erubuit, arrogantiorem, aut
 impudentiorem me ostenderem: sed ut
 vos, nobilissimi Juvenes, ad politiorum
 Litterarum amorem incitemini, eis, cum
 vester animus à severoribus studiis de-

fatigatus sit, reficiamini; et quantum
alii ludis, quantum deambulationibus,
quantum tempestivis conviviis temporis
tribuunt, tantum vos istis praestantissi-
mis, atque omnium jucundissimis Ar-
tibus concedatis.

Sed antequam dicere incipiam, peto
a vobis ut attentè, et amicè accipiatis
quae dicam; neque benignitatis vestrae
fontes qui omnibus semper patuerunt,
mihi uni clausos esse patiamini.

non solum iustis; sed etiam iustisq; militi
genitibus in secessu leonis iboque
ab incertis mundis in mundisq; que
miseris videntur sibi. Hinc

Tametsi eximia quadam ac praecclara
laude digni sunt, qui in assequendis
sublimioribus Scientiis operam, et in-
dustriam suam collocant; haud minori
mihi videntur, qui ad humaniores ad-
discendas Litteras, mentem suam, at-
que diuturna studia conferunt.

„Nam illae quidem, ut eleganter in-
quit Cicero, neque temporum sunt,
„neque aetatum omnium, neque loco-
rum: hae vero adolescentiam alunt,
„senectutem oblectant, secundas res
„ornant, adversis perfigunt, et sola-

„tium praebent, delectant domi, non
„impediunt foris, pernoctant nobiscum,
„peregrinantur, rusticantur.”

Haec sunt studia quibus disserta
Graecia quondam efflornuit; quibus Im-
perii Romani majestas aucta fuit, atque
exornata; et quibus recentioribus sae-
culis Gallia, Italia, Hispaniaque haec
nostra quae longe nobis debet esse ca-
rissima, nominis celebritate clartuerunt.

Haec denique studia sunt, quae in
hac ipsa omnium nostrum parente Aca-
demia maximo in honore semper habi-
ta fuerunt; quae hominibus, quos ad
elegantiam finxit natura, perpetuo in
deliciis sunt; et quibus magnopere sese
delectari ultrò, libentissimeque fatentur.

Et merito quidem: nam ut ab suavissima omnium arte, vel si malitis, ab incitatione illa animi, et à spiritu illo quasi divino, quo afflatos fuisse Poetas tota retrò credidit antiquitas, exordiamur: *Quis unquam fuit tam agrestis, aut tam aversus à Muisis, ut Poetarum studio commoverí non sentiat?*

Hic enim ita oblectant, ita demulcent animos, ac incredibili suavitate perfundunt; ut, Tullio teste, nulla unquam inventa sit Barbaria, quae eorum nomen violaverit: sed ut sacros eos, atque Divinitatis interpretes, fericiores etiam homines semper venerati, atque illorum cantu mirificè delectati sint.

*

Nec mirum: cum enim naturaliter delectet, quidquid admirabile est: delectant Poetae quia mirabilia narrant, et ea miro modo eloquentur; delectant numero quoque ipso et sono, qui naturae nostrae ita consentaneus est, ut veterum quidam animum ipsum numerum esse, atque harmoniam existimaverint: delectant etiam quia in rebus nihil ad nos pertinentibus, tanta animos nostros affectuum varietate pertentant, ut legentes Poemata, vel audientes, interdum angamur, ac premaximus, interdum ad spem erigamus; nonnumquam exhilaremur, nonnumquam etiam iis, quae fieta esse scimus, illacrymemur.

*

Neque hoc illis tantum optima in-dole praeditis, quos faciles ad lacry-mandum vetus Graecorum tradit pro-verbum; sed efferatis etiam hominibus, atque caede, et sanguine gaudentibus idipsum multoties evenisse accepimus.

Verum non tantum Poetae nos de-lectant, non solum cantuum suavitate animos nostros irretiunt, sed etiam quod magnum, si non maximum est, et bene loqui nos docent, et pectora nostra ho-nestis formant praeceptis.

Ac de Eloquentia: plurimum qui-dem ad eam Poetarum conferre lectio-nem, jam pridem Theophrastus, Fa-bius, Longinus aliique optimè dicendi Magistri edocuerunt.

Omnis enim et in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in personis decor; omnis peregrina, et à vulgari abhorrens conformatio verborum, omnes denique insigniores figurae non ab alio Scriptorum genere, quam à Poetis pertinentur.

Numerosè autem dicere, quo nulla laus Oratoris praeclarior, nullum magis elocutionis ornamentum est, nemo assequi unquam poterit, qui aures non habeat in poeticis numeris diu multaque tritas, atque exercitatas.

Omnium ante oculos ita versatur hoc, ut à nemine, quod sciam, in dubium revocatum sit: sed utrum Poetarum lectio moribus prosit, an eos potius

inficiant, et depravent; quaestio alia
et major, et dubitationis plenior est, in
quam libenti animo descenderem si per
tempus liceret: nec verò eam omnieo
intactam relinquere videar, vel breviter
tantum dixerim, non me eos laudare
Poetas, qui nequitiarum non minus
quam elegantiarum parentes dici pos-
sunt; non eos qui nimia dulcedine mol-
liant animos, atque nervos omnes vir-
tutis elidunt; non eos, qui ea sibi ad di-
cendum argumenta diligunt, quibus
subruuntur fundamenta justi rective,
totius honestatis excutitur amor, et
animi hominum pestiferis, ac nefariis
opinionibus imbuuntur: hos inquam,
et quosecumque alios qui versibus suis

aut meliores nos non efficiunt, aut publicae non inserviunt utilitati, non modò non laudo, non modò eorum lectionem non probo; sed à conspectu nobilium hominum, quales omnes vos estis, procul amoyendos existimo.

Sed si qui sunt Poetae, ut revera sunt, qui magno ingenio, menteque diviniori, D. O. M. laudes decantent, aut in ejus perfectionibus immensisque ad humanum genus beneficiis extollendis, numen suum, ut quondam David, exerceant; si qui ut de Homero tradidit Flaccus, quid honestum, quid turpe, quid pulchrum, quid utile sit aut inutile, Philosophis, et Rethoribus melius, ac plenius edoceant; si qui denique nos

ad officia in Civēs, in Patriam, in
 Regem fideliter adimplenda dulci, ac
 suavissimo carmine impellant; hos ego,
 et laude dignos; et humano generi ami-
 cos praedico, atque illorum cantus legi,
 edisci, et nocturna diurnaque vestra
 versari; Juvenes, manu quam vehe-
 mentissime exopto.
 Audistis, praeclarissimi Adolescen-
 tes, de suavitate, ac praestantia studii
 Poetarum: audite nunc de Historia.

Cujus vel quae sit vis, vel quanta
 non utilitas modò, verum etiam neces-
 sitas ad omnia munera vitae, non mul-
 tis ostendam verbis in tanta litteratissi-

morum hominum frequentia, in qua
forsitan non reperietur unus, cuius
memoriae non inhaerescat notissimus
ille Ciceronis locus, ubi magnificis ver-
bis Historiam laudat, eamque tempo-
rum testem, lucem veritatis, vitam me-
moriae, magistrum vitae, nuntiam ve-
tustatis luculenter appellat.

Nullus, ut opinor, cui ignotum sit,
quod ille apud Platonem AEgyptius Sa-
cerdos Soloni dixisse fertur; Graecos
semper pueros animi esse, quod vete-
rem opinionem, fama, et auditione ac-
ceptam nullam haberent, nullam anti-
quitate canescentem disciplinam; ne-
que scirent omnino quid antequam nati
essent, superioribus illis saeculis vel

apud ipsos, vel apud alios accidisset.

Quare hoc unum de Historia dicam: ex ea scilicet, tanquam ex aliquo perenni fonte perpetuo exoriri posteritati universae, maximam ad praecella-
ra adeunda facinora, illustrium exemplorum ubertatem, et copiam.

Enim vero ducimur omnes, Audi-
tores incliti, (neque id dummodo sa-
pienter fiat, vitio verti debet) incredi-
bili quodam honestae laudis amore, et
pacto nescio quo, optimus quisque,
caeterisque excellentior maxime hac
gloria dueitur.

Sic ille homericus Hector inglorium
se, atque ignotum moritum tantope-
re reformidabat.

*

Sic, altiori tamen sententia, gravissimus ille, atque fortissimus qui in sacris Litteris landatur, Eleazarus ad extrema quoque pro patriis legibus, atque institutis fortiter toleranda se ipsum coneitat: nullam inquit, nostrae preclarè ante actae vitae inuram notam, sed posteris omnibus, Adolescentibus praesertim, exemplum forte relinquam.

Videtis, optimi Juvenes, ut aeternitate nominis, atque postuma ut ita dicam, gloria, se etiam viri clarissimi moveri fateantur? Atqui si jacerent litterae, si nulla rerum gestarum esset memoria, si illustrium Poetarum, si Historicorum omnis deperiret industria; qui fieri posset, ut viri fortes spe-

*

rarent à se recte factorum decus posse
ad posteros pervenire?

Vixere enim ante Trojae excidium
viri magnanimi, sapientesque; vixere
ante Ulyssem, ante Nèstorem, ante
Achilem benè multi; sed ignoti omnes,
et cimmeriis in tenebris jacent sepulti,
quia nullum rerum suarum nacti sunt
praeconem, aut praedicatorem.

Aliud quoque ex Historia percipi-
tur utilitatis genus, quod minime prae-
tereundum censeo.
Nam prudentia illa quae appellatur
civilis, quaeque prima etiam qui pu-
blicas res moderantur, dicitur virtus;
quæde melius quam ex Historia colligi
potest?

Quid agant, quid moliantur, aut cogitent homines, quis consiliorum existus esse soleat, aut quid ex quo eventum sit; is demum optime, ac penè certe dignosceret, qui temporis acti notitiam melius habuerit.

Quod si dierum nobis ad vivendum à natura praescriptorum ea esset longitudo, ut idem homo plurima saecula integra mente, integrisque sensibus vixisset, omnes provincias peragrasset, ad intima Principum consilia adhibitus, et sententias audire, et rationum quibus niterentur pondera ac momenta diligenter perpendere potuisset, observasset postea, atque omnes notasset eventus: quis non incredibilem quam-

dam in eo vim consilii cerneret? Quis non ejus sententiam in oraculi prope-
modum loco ac numero habendam fa-
teretur? Atqui quod natura nobis dene-
gat hoc praestat Historia; ut qui eam
diu, ac sapienter per volutarunt, omni-
bus aetatibus vixisse, omnes regiones
perlustrasse, omnibus consiliis inter-
fuisse, omnia quae unquam contige-
runt, praesentes spectasse, atque anno-
tasse videantur.

Sed jam ad illam flexanimam, om-
niumque Reginam Eloquentiam oratio-
nem nostram convertamus.

Facultas enim est quae maxime de-

Et omnium animos ad discendum impellere; cum sine illa, neque hominum communem nomen dignè obtineti, neque sapiens consilium ad civium salutem in medium proferri, neque Religio ipsa à furioso hominum nefariorum impetu, humanis possit opibus propugnari.

Et quoniam omnibus nobis enicendum est, ut dignitatem hominibus praeter caeteros animantes divino munere concessam ornavisse potius, et amplificasse, quam vel abjecisse, vel diminuisse videamus; omni studio, ac diligentia comparanda est à vobis, Juvenes, illa vis quae praeclarissimum Dei munus tuetur, et exornat: quo neglecto, non sane video quid inter mu-

tas belluas, et homines intersit.

Etenim duo sunt in nobis munera divina, utilitate magna, nobilitate prima, ipso genere praeclara; mens, et quasi quidam mentis nuntius, et interpres sermo.

Illa res abditas investigat, investigatas comprehendit, comprehensas digerit, et componit; praeterita recordatur, cernit instantia, futura conjectat, atque extrema conferens primis, rerum cursum, et eventorum consequentiam notat: sed omnia haec in nostris latrent animis, nisi orationis accedente lumine, tum demum ab omnibus patet, atque illustrata cernerentur.

Quod si vix inter homines numera-

mus, qui studio et labore rationem
meliorem non effecerunt; quis non ab
hominum societate removendos illos ar-
bitretur, qui non excoluerunt sermo-
nem sine cuius luce mirabilis illa in-
genii vis enitescere non potest?

Quis non eos multa quaedam homi-
num simulacra potius quam homines
appellet?

Quae si vobis, Adolescentes optimi,
turpia, contumeliosa, indignaque vi-
dentur, ut meritò videri debent, sta-
tuite quem vobis animum pro commu-
ni hominum dignitate suscipiendum
putetis.

Quam multi vulgo, summoperè con-
tendunt, ut excitent celeritatem pedum?

quam multi omne suum studium, et operam conferunt ad augendum, et confirmandum corporis robur? quam multi, quorum ego conditionem misserrimam duco, toti sunt in pulchritudine formae conservanda, et adornanda occupati? Atqui haec, et alia generis ejusdem, aut longè meliora sunt in bestiis, quam in nobis, aut certè nobis cum illis communia.

Nos verò quod omnino nostrum est, quod hominum proprium, quod nobis concessum ad societatem vitae, ad communionem juris, atque morum, ad mutuam felicitatem et salutem, negligemus? non exornabimus? non exposiliemus?

*

Videte ne ut illi mundi Creatori,
 atque parenti Deo gloriosum fuit tan-
 tum nobis, et tamen optabile bonum im-
 pertiri; sic turpissimum sit acceptum
 ab illo manus industria tueri, et ornare
 non posse.

Quid, quod superbissimo fastidio
 mortalium, recte, et sapienter cogitata,
 nisi lectissimis verbis, gravissimisque
 sententiis ad aures perveniant, neque
 fidem faciunt, neque in hominum men-
 tes influunt, neque animum quidquam
 movent, neque memoriam gratam ha-
 bent, neque diuturnam? At quae ju-
 eunde audiuntur, etsi non salutariter
 fiant, ea sic arripiuntur, ut propè ad
 aeternitatem haereant pectore infixas.



Quid::::: sed immensus forem si
 quae in Eloquentiae laudem dici pos-
 sunt, ea omnia in medium afferre vel-
 lem: unum tamen, quamquam ad exi-
 tum festinat oratio, quod ex patriis
 Academiae moribus in elegantiorum lit-
 terarum commendationem deducitur
 argumentum, tacitus praeterire nullo
 modo possum.

Academia haec, Juvenes, quae cum
 ob ipsius vetustatem originis, tum ob
 amplissima quae ab AUGUSTIS CAS-
 TELLAE REGIBUS nullo non tem-
 pore accepit beneficia, PRINCIPUM
 NOSTRORUM PRIMOGENITA op-
 timo jure dici debet; jam inde vel à
 suis primordiis hunc semper cursum

gloriae tenet, ut omnes illas Artes quae ad humanitatem pertinent, non tantum in ejus sinu perpetuo retinuerit; verum etiam insigni honore eas sit constanter prosequuta.

Convertite quoquoversum oculos vestros, parietes, tecta, Gymnasia huic ferè proxima circumspicite, eorum foribus superpositas inscriptiones attenius perlegite; et quot litteras, tot ibi reperietis hujus veritatis documenta.

Pergite postea, gressusque vestros dirigite ad deserta illa, et horrida loca jucunditatis, et abundantiae quondam, moeroris nunc atque solitudinis mansiones, quae infortunatam hanc Civitatem undique circumdant; et inter ab

humo convulsa Templa magnifica olim
 atque speciosa; inter eyersa funditus
 Collegia queis per integra saecula
 educata fuit antiqua illa Hispaniensis.
 Nobilitas tot nominibus de Rege, et
 de Patria optimè merita; inter tristes
 eversarum domuum reliquias, atque
 ingentes stragis, et ruinarum acervos,
 etiam vestigia reperietis celebris cujus-
 dam Lycei disjecti sient caetera turbine
 illo Gallico, qui ut elegantis Catulli
 ular verbis; *omnia bella devoravit.*

Quod nunc solo penè aequatum vi-
 debit, Musarum sedes quondam fuit,
 ac domicilium, Academiae sumptibus
 feliciori Hispaniae saeculo erectum;
 maximis illius curis auctum, atque con-

servatum, et Latinis, Hebraicis, Graecisque litteris quae ingenuarum Artium quasi sacraria quaedam sunt, ab ipsa institutione dedicatum.

Illic, dulcissimi Sion cantici ipsa Davidis voce recitabantur; illic, Demosthenes, et AEschines frequentissime audiebantur contendentes pro corona: illic aurea illa Ciceronis vox aut Populo Romano offerens Pompejum omnibus artis pictum, atque expositum coloribus; aut inimicam Ligario sententiam divina eloquentiae vi de subirati Caesaris manibus extorquens; aut tonans, et fulgurans in Catilinam, in Clodium, vel in Anonium quotidie resonabat.

Illic, Homerus, et Virgilius, Pindarus, et Horatius, Livius et Thucidides, omnes denique Atticae elegantiae, atque urbanitatis Romanae Parentes, ac Magistri legebantur, ediscebantur, et animo penitus imbibebeantur.

Illic, creati sunt Poetae, Rethores, Oratores maximi; et ex hac schola tamquam ex equo trojano prodierunt homines omnibus politioribus litteris exculti, qui Academiae nomen etiam apud remotissimas gentes tam inclitum, et tam gloriosum reddiderunt; ut qui humaniores disciplinas attingerent, tanto illius visendae studio flagrabant, ut non prius quam Salmanticam vidissent, conquiescerent.

Haec laus quae ad vos veluti haereditario jure transit, Juvenes, haec gloria quae ruinis illius Academicæ, quam nunc descripsimus, prolis aliquantulum fortassis obruitur: si opera vestra, si studio, et labore vestro penitus fuerit instaurata, nihil vobis neque ad existimationem honestius, neque ad hominum famam accidere potest praeclarus.

Incubite igitur, optimæ spei Adolescentes, incumbite ad haec humanitatis studia digna aetate, digna ingenio vestro, digna omnibus qui praeclarum Scholastici Salmantini nomen profitentur: alqui cura vestra efficite, ut ii Doctores amplissimi, ii gravissimi, at-

que humanissimi viri qui vos audientes praeSENTIA sua decorant, multo ali quando jucundius dicentes, hac tanta gravitate, et auctoritate cohonestent.

DIXI.

ORATIO HABITA

Li. Joaquin Alarcos Larriondi
Ingeniarum Civitatis Doctor
et Humaniorum Litterarum
publicus professor.

ANN. DÑL MDCCCXXIX.

SAIMANTICE:

En la Sociedad de Amigos del País. Tercera Universidad.

Stabilisatie of autonome conformatie.